



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. II. De Jurisdictione dubia, probabili, & in articulo mortis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

muni adjungitur titulus coloratus, puta si existimetur aliquis communiter esse Pastor, aut habens aliunde jurisdictionem, cum tamen non habeat, vel propter censuram, vel propter alium defectum; sed etiam probabiliter si error communis non jungatur cum titulo colorato, puta si Sacerdos non habens jurisdictionem bona, vel mala fide exponat se confessionali ad confessiones audiendas, communiter censetur confessarius approbatus: Ita Dian. part. 3. tract. 4. resol. 22., & resol. 122. ex Molfes., & aliis. Et ratio est, quia tam jus Civile lege Barbarius ff. de Officio Praetoris, quam jus Canonicum, Cap. Ad probandum de Sententia, & re judic., disponunt valere gesta a Judice putativo, quando communis error concurrat; idque propter bonum commune exigens talem dispositionem ad vitanda multa inconvenientia; ergo etiam iudex Sacerdotalis, si caetero qui jurisdictione careat, quando ex errore communi putetur illam habere, propter bonum commune illam habet ab Ecclesia; dummodo tamen sit capax illius; nam, si non esset Sacerdos, verbi gratia, certe jurisdictionem ab Ecclesia habere non posset in foro Sacramentali; quia humana potestas solum tollere potest impedimentum juris humani, non vero juris divini, aut naturalis. Debet autem hic error esse probabilis, non vero supinus, aut crassus, ut advertit Bardi in Bullam Cruciatæ part. 2. tract. 5. cap. 1. num. 153. ex Sanchez., & aliis; quia error supinus, & crassus in Jure æquiparatur scientiæ.

## ARTICULUS II.

De Jurisdictione dubia, probabili,  
& in articulo mortis.

- I. Cum jurisdictione negative dubia non licet absolutionem impendere.
- II. Licet tamen est illam impendere cum jurisdictione probabili, suppleta Ecclesia jurisdictionem, si forte desit.
- III. Habens jurisdictionem in mortalia penitentis, si negative dubitet, an aliquod mortale sit reservatum, licite ab illo absolvit.
- IV. Jurisdictio, que datur cuivis Sacerdoti pro mortis articulo, datur etiam pro periculo mortis. Et quinam dicantur in tali periculo versari?
- V. Probabiliter simplici Sacerdoti confertur jurisdictio, etiam presente Parocho.
- VI. Absolutio a peccatis reservatis in mortis sive articulo, sive periculo confertur sine onere; secus vero absolutio a censuris reservatis; si tamen penitens sit denunciatus; & careat impedimento perpetuo ad eundem Superiorem.

I. **Q**uæritur primo; An liceat absolvere cum jurisdictione dubia, vel saltem probabili?

Respondeo cum communi, extra casum necessitatis dari non posse absolutionem ab eo, qui negative dubitat de sua jurisdictione; quia extra necessitatem nullum Sacramentum potest licite conferri cum dubio de ejus valore; ut si quis baptizaret cum aqua rosacea habens aquam naturalem; aut si quis absolveret dubitans an sit Sacerdos. Cum autem non minus ad valorem Sacramenti requiratur potestas jurisdictionis, quam potestas Ordinis, sequitur, quod non possit licite ab-



absolvere, qui negative dubitat de sua jurisdictione.

Quod si dubium negativum per rationem aliquam positivam deponatur, unde evadat dubium positivum, quaestio difficilior est, An possit licite conferri absolutio cum jurisdictione ista positive dubia, seu probabili; praesertim postquam Innoc. XI. damnavit propositionem illam, quam explicavimus quaest. 3. art. 6.: Etenim jurisdictio probabilis ex una parte non est certa, & ex alia parte pertinet ad valorem Sacramenti: Unde videtur exponi Sacramentum periculo frustrationis, non minus per jurisdictionem, quam per materiam, & formam Sacramentorum probabiles; atque adeo sicut non licet conficere Sacramentum cum materia probabili, omissa certa, sic videtur non licere conficere Sacramentum poenitentiae cum jurisdictione probabili, saltem quando potest haberi jurisdictio certa.

II. Nihilominus censeo, licitum esse absolvere cum jurisdictione probabili, ut fufe docui in expositione illius primae thes. ab Innoc. XI. confixae. Pro hac sententia Gobat. tract. 7. num. 116. numerat centum triginta Doctores; Negat tamen contra Raslerum sententiam hanc esse moraliter certam; cum multi graves Doctores illam respuant, dicentes, tunc solum ab Ecclesia suppleri defectum jurisdictionis, si abesset, quando absolutio confertur cum jurisdictione probabili, quia non potest haberi certa, secus vero, quando confertur absolutio cum jurisdictione probabili, omissa certa, quae potest haberi; atque adeo ne exponatur periculo frustrationis Sacramentum, putant, non esse licitum absolvere cum jurisdictione probabili, omissa certa.

Probatur tamen nostra conclusio primo a posteriori; tum quia non est probabile, centum triginta Docto-

res a Gobat relatos in re tanti momenti esse deceptos, & indignis censura; tum etiam quia praxis, & usus Ecclesiae fert, ut poenitentes absolvantur non solum a peccatis, sed etiam ab excommunicatione, quando probabiliter possunt absolvi; ergo universim licitum est absolvere cum jurisdictione probabili. Secunda pars hujus antecedentis patet; etenim, cum Doctores examinant, utrum haec, vel illa excommunicatio possit absolvi a tali Confessario, non examinant, an speculative tantum loquendo, sed etiam an practice possit absolvi, & saepe censent, posse absolvi, in quo casu absolutio confertur cum jurisdictione probabili, omissa certa, quae posset haberi, si poenitens remitteretur ad Superiorem, qui certam habet jurisdictionem.

Neque dicas; in tali casu non exponi Sacramentum periculo frustrationis, quia absolutio caderet supra reliqua peccata, a quibus potest Sacerdos directe absolvere, & solum indirecte caderet supra peccatum illud, in quod probabilem tantum habet jurisdictionem: At si jurisdictio absolute sit probabilis relate ad omnia peccata, exponeretur Sacramentum periculo frustrationis; & ideo non licet cum jurisdictione probabili absolvere.

Nam contra est, quia cum certum sit, quemcumque Sacerdotem habere jurisdictionem in venialia, aut mortalia alias remissa, vel a Christo Domino, vel a Papa ex consuetudine Ecclesiae; (nam Innoc. XI. prohibuit tantum, sed non declaravit invalidam confessionem venialium factam simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, vel Ordinario) sequitur, quod saltem quando quis confitetur tali Sacerdoti habenti jurisdictionem probabilem, addendo aliquod veniale, supra quod ille habet jurisdictionem



certam, non exponitur Sacramentum periculo frustrationis.

Probatum tamen secundo Conclusio a priori; quia quando jurisdictionis est probabilis, eo ipso est certa, supplet Ecclesia ejus defectum, si adesset; atqui quando jurisdictionis est certa, sine dubio licitum est absolvere, nec exponitur Sacramentum periculo frustrationis; ergo licitum est absolvere cum jurisdictione probabili. Probatum major, quia intantum non esset certa, in quantum graves Doctores dicunt, non suppleri defectum jurisdictionis ab Ecclesia, quando quis absolvit cum jurisdictione probabili, omissa certa; sed hoc quod ab his asseritur est falsum, tum quia non est probabile, quod Pontifex propter bonum publicum nolit suppleri defectum jurisdictionis in tali casu, in quo sic conferens absolutionem sequitur opinionem probabilissimam, quam plurimi, & communiter Doctores docent; tum etiam quia, quando habetur error communis, Ecclesia supplet defectum jurisdictionis, ut supra diximus, propter bonum commune, ne tot actus sint irriti; ergo a fortiori supplet talem defectum, quando Confessarius sequendo opinionem probabilissimam absolvit; atque adeo quando jurisdictionis est probabilis, est saltem moraliter certa, quia moraliter certum videtur, quod Ecclesia Mater benignissima velit suppleri illius defectum, si quis esset. Et sane quamvis non pauci Doctores antiqui apud Suar., & alios asseruerint, in Sacramento Pœnitentiæ requiri contritionem perfectam, non per hoc desinit esse moraliter certum, sufficere Attritionem, spectatis verbis Tridentini, ratione, & auctoritate fere communissima in contrarium: Ergo pariter in casu nostro quamvis graves Doctores negent ab Ecclesia suppleri universam jurisdictionem, si forte desit, quando

quis absolvit cum jurisdictione probabili; non desinit tamen esse moraliter certum oppositum, spectatis rationibus, & communissima auctoritate Doctorum benigne sententium de Sancta Matre Ecclesia.

Probatum demum hæc assertio; quia sine dubio habet jurisdictionem debitam ille, qui habet jurisdictionem implicitam per ratihibitionem de præfenti signo externo manifestatam; sicut accidit, quando quis audit confessiones, vidente Præfate, a quo facile impediri potest, nec impeditur, ut supra diximus quæsto septimo: Atqui qui absolvit cum jurisdictione probabili, habet a Pontifice jurisdictionem implicitam, eo quod sciat Pontifex confessarios ut plurimum absolvere cum jurisdictione probabili juxta opinionem probabilissimam, quod facile potest prohibere, & tamen non prohibet; ergo qui habet jurisdictionem probabilem, habet a Pontifice jurisdictionem debitam; atque adeo cum jurisdictione probabili non exponitur Sacramentum periculo frustrationis; sicut exponeretur cum materia, aut forma probabili.

Hinc sequitur, ab Innoc. XI. in prima ex ejus proscriptis thesibus non esse damnatam hanc sententiam; quia debuisset apte illam damnare, si voluisset, quod non solum in iis, quæ pertinent ad materiam, & formam Sacramenti, sed etiam in iis, quæ pertinent ad jurisdictionem, sequamur opinionem tutiorem, omissa probabili, ut multi viri docti censent cum Lumb. contra Pisan., & Riccium exponentes illam thesim.

III. Adverto demum, quod si quis certus sit de jurisdictione in aliqua mortalia pœnitentiæ, & dubitet negative de aliis, (ut accidit, quando quis audiens confessionem dubitat negative; an pœnitens inciderit in aliquod mortale reservatum) in tali casu, quamvis



vis Armil., & Cordub. apud Busenbaum hic dub. 4. §. ultim., & Suar. negent, posse licite absolutionem conferri; Affirmant tamen probabilis Lug. disp. 20. sect. 2., Filiuc., & alii; quia peccatum, de quo dubitatur, etiam si negative, an sit reservatum, eo ipso non est reservatum, ut dicemus quæst. sequenti, quia scilicet in dubio melior est conditio possidentis, & in hoc casu est in possessione facultas absolvendi; (quod non accideret, si quis negative dubitaret, an habeat simpliciter jurisdictionem, tunc enim esset in possessione lex prohibens absolutionem) Et Lugo addit, quod si post absolutionem deprehendatur, vere illud fuisse reservatum, non proinde opus sit nova absolutione: Sicut dubius de voto reservato Pontifici, si ab Episcopo dispensetur, non indiget nova dispensatione, etiam si deinde deprehendatur vere votum fuisse Pontifici reservatum. Et idem dicitur de Censura reservata; Licet, si post absolutionem censura deprehendatur fuisse reservata, teneatur pœnitens pro foro externo, non tamen pro foro conscientie comparere coram Superiore.

IV. Quæritur secundo; An jurisdictione, quæ delegatur cuilibet Sacerdoti ab Ecclesia in articulo mortis, delegetur etiam in periculo mortis?

Respondeo cum communi Doctorum affirmative; tum quia ex usu Ecclesiastico, pro eodem sumitur articulus, & periculum mortis, ut patet ex Cap. *Eos qui, de sententia excommunicationis in 6.* ubi in eodem contextu ille, qui vocatus fuerat articulus, vocatur deinde periculum mortis; tum etiam quia cæteroqui qui esset in periculo mortis, remaneret in periculo moriendi sine confessione: Est autem proprie articulus mortis, quando mors moraliter certa proxime

imminet; Periculum vero dicitur, quando est probabile dubium de morte, eo quod frequenter soleat in tali casu mors accidere; ut in actuali pugna, in longa navigatione, in acuta febris, in partu difficili, in itinere latronibus infesto; vel quando quis probabiliter sibi mortem timet ab inimicis privatis per venenum, &c. Item in peste grassante, in terramotu imminente, &c. & ex Sancio in prima die periculosa infirmitatis, & in damnatis ad mortem; non vero in damnatis ad trirames, ut docent communiter Doctores contra Sã; quia periculum in iis non est proximum, sed remotum. Præterea ex Palao possunt absolvi, perinde ac essent in periculo mortis, qui sunt in perpetuo impedimento paupertatis, ægritudinis, servitutis, &c. Certum enim est, quod quando non potest pœnitens summi Superiorem adire, non obligatur per procuratorem, aut per literas se præsentare, nec per confessarium, qui ab eo petat privilegium absolvendi; nec tenetur vocare ad se superiorem, quia esset illum gravare.

V. Quæritur tertio; An etiam præsentante Parocho, vel Sacerdote privilegiato, possit quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, degradatus, hæreticus, &c. absolvere ab omnibus etiam reservatis in articulo mortis?

Respondeo, communiorem sententiam cum Suar., Vasq., Molin., & aliis negare. Primo, quia cessat finis concessionis Trident., qui est subvenire necessitati fidelium: Secundo, quia Trident. dicit, *Custoditum semper in Ecclesia fuisse, ne aliquis defectu huius Sacramenti pereat, ut in illo articulo nulla esset reservatio*; ergo Trident. non condit novum jus, sed solum approbat consuetudinem Ecclesiæ; Atqui in Ecclesia non fuit consuetudo, ut præsentante proprio Sacerdote, seu Parocho, absolvatur moribundus a sim-



simplici Sacerdote; Imo sicut nullus infirmus audeat recipere ullum aliud Sacramentum ab alieno Sacerdote, praesente proprio, sic nec Sacramentum poenitentiae; ergo, &c.

Verum probabilis etiam est, & in praxi secura sententia affirmativa, quam docent Perez, Navar., Sâ, Ledesm., & alii plurimi apud Dian. part. 1. tract. de Absolut. hæres. resolut. 5.; & part. 3. tract. 4. resolut. 161. tum quia verba Trident. loquuntur universaliter, & sine ulla exceptione, posse scilicet quemlibet ab omnibus peccatis per Sacerdotes absolvi; ergo etiam praesente proprio Sacerdote potest simplex Sacerdos absolvere; tum etiam, quia cum finis dictæ concessionis sit, *ne hac occasione aliquis pereat*, dicendum, ad majorem favorem, & gratiam periclitantium voluisse Trident. concedere hanc facultatem sine ulla conditione & limitatione: Accidere enim posset, vel quod moribundus moriatur, dum expectat licentiam Prælati, vel quod minori cum rubore, & majori cum facilitate confiteatur simplici Sacerdoti amico, quam Parocho; unde ubi lex non distinguit, nec limitat, nec nos limitare debemus.

Ad primam rationem in contrarium, nego cessare finem concessionis Trident., qui non est solum subvenire necessitati periclitantium quandoque, sed subvenire meliori modo, quo possit, atque adeo dando illis facultatem, ut libere a quovis Sacerdote absolvantur. Ad secundam, nego minorem, & transmissam minorem, dico, id fieri propter condecensiam, & majorem securitatem, non ex obligatione: Ad id, quod additur, dico, non haberi utilitatem specialem in reliquis Sacramentis per hoc, quod a Parocho, vel ab aliis suscipiantur; sicut habetur in Sacramento poenitentiae; Potest enim moribundus cum ma-

*Pars VI.*

jori facilitate confiteri simplici Sacerdoti amico, & ideo hoc illi non denegandum.

Advertendum tamen, quod moribundus sine ulla sui speciali utilitate non debeat ad administrandum hoc Sacramentum advocare Sacerdotem excommunicatum, aut hæreticum, &c., aut quem sciret esse in peccato mortali; non quia in eo non esset in tali casu jurisdictio; sed quia moribundus sine ulla sui utilitate esset causa indignæ administrationis Sacramenti, quæ fieret a tali Sacerdote.

VI. Quæritur ultimo; An absolutus in articulo mortis a peccatis, vel a censuris reservatis teneatur deinde, si convalescat, Superiorem adire pro absolutione?

Respondeo cum Lug., Suar., & aliis communiter contra Vasq. apud Lug. disp. 20. num. 207. Absolutionem a peccatis reservatis in articulo, vel periculo mortis conferri sine ullo onere; Ratio est, quia Trident. dicit in tali articulo nullam esse reservationem; & idem probabiliter dicendum in casu legitimi impedimenti perpetui adeundi Superiorem, ut infra explicabimus: Contra vero absolutio a censuris reservatis confertur cum onere comparandi seu præsentandi se Superiori, ubi cesset impedimentum, sub pœna reincidentiae, non quidem ad absolutionem sacramentalem, aut a censuris iterum recipiendam, sed ut poenitens obediat mandatis Superioris, & ut constet de satisfactione partis: Et ideo potest se præsentare per Procuratorem, vel per literas (excepta excommunicatione ob percussione Clerici, quæ exigit personalem præsentationem) Quare si elapso periculo non se præsentet, ubi commode potest, relabitur in eandem excommunicationem, ut constat ex Cap. *Eos qui, de sententia excommunicationis in 6.*

V

Ubi



Ubi adverte primo, moribundum absolvi posse solum ab iis censuris, quæ impediunt susceptionem Sacramentorum, puta ab excommunicatione, &c., non vero a suspensione ab Ordine, vel ab Officio, aut Beneficio, ut patet ex ratione a Trident. tradita, videlicet ne hac occasione aliquis pereat. Immo Mendo putat, excommunicatum posse absolvi ab excommunicatione solum in ordine ad effectum suscipiendi Sacramenta, non vero in ordine ad effectum sepulturae, in ordine ad quem potest adhuc post mortem a iudice legitimo absolvi.

Adverte secundo, in iure præcipi, ut ab eo, qui in casu necessitatis absolvitur, exigantur quædam juramenta: Sic ab incendiario, a percussore Clericorum, ab excommunicato excommunicatione Bullæ cœnæ exigitur juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, seu servandi; quod ea occasione inunctum fuerit ab Ecclesia, seu a Superiore absolvente. Præterea ab eo, qui non potest statim satisfacere parti læsæ, exigendum est (si debitum sit pecuniarium) primo loco pignus; secundo, si pignus haberi non possit, fidejussio, ac demum, si nec fidejussio haberi possit, juramentum de satisfaciendo; & habita hac cautione vel pignoratitia, vel fidejussoria, vel juratoria, potest absolvi. Verum Dian. part. 2. tract. 16. resol. 44. cum Navar., Valero, Henr., Peliz., Tamb., aliisque tenet, quod quando absolutio datur tantum in foro conscientie, satisfit per firmum propositum de stando mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendi parti læsæ, si non possit statim satisfacere; eo quod hæc juramenta, & cautiones in iure exigantur pro foro exteriori: Quod ostendit praxis Confessariorum, qui non solent in casibus expressis hæc juramenta, aut cautiones exigere. Unde saltem dicendum, quod ea ju-

ra, etiamsi pro foro conscientie exigantur juramenta, vi consuetudinis tamen non amplius obligent.

Advertendum tertio, absolutionem ab excommunicatione reservata, etiam canonis, *Si quis suadente diabolo*, tunc in articulo mortis conferendam esse cum onere se præsentandi cessante periculo, quando pœnitens est excommunicatus denunciatus, ut docet Dian. part. 3. tract. 14. resol. 63. ex Januario, & aliis; tum quia textus ille Capitis *Eos qui*, loquitur de excommunicatis denunciatis tantum; tum etiam, quia non amplius habet locum hujusmodi onus post Trident. asserens, in articulo mortis nullam esse reservationem; Quare Trident. correxit quoad hoc jus antiquum, dum oneris ab eo impositi non meminisset. Quando autem quis absolvitur ab excommunicatione reservata propter impedimentum perpetuum, non debet obligari ad comparandum; cum impedimentum perpetuum cessare non possit; secus vero si absolvitur propter impedimentum temporale.

### ARTICULUS III.

#### De Approbatione in Confessario requisita.

- I. *Solum ad audiendam Confessionem Secularium requiritur aut Approbatio ab Episcopo, aut Parochiale Beneficium in Confessario. Præterque Parochus jurisdictionem erga suas oves delegare alteri Parocho, ac Sacerdotibus ab Episcopo proprio alibi approbatis.*
- II. *In quo differat Approbatio a Jurisdictione?*
- III. *Jurisdictione dari debet ab Episcopo vel Parocho, cui est subditus pœnitens; Approbatio vero datur ab Episcopo Confessarii.*
- IV. *Episcopus potest aliquem ad examen*